

*Fabricius.* - In principio autem in scholis publicis in Italia docere coepisti. Quemadmodum res tibi vertit ?

*Aloisius.* - Equidem re vera sat prospera sum usus fortuna, nam continuo postquam lauream coronam adeptus eram, in certamina publica descendere potui et inde victor evadere. Qua de causa mihi facile fuit in scholas ingredi atque ibi docere. Porro etiam scholam ubi docerem potui seligere neque ea mihi est imposita, quia ex illis certaminibus satis bene excesseram. Quid dicam ?... Me valde delectavit cum discipulis illius aetatis colloquium et sermones serere fecundos quibus illi possent ad humanitatem informari et ipse possem ea quae mihi videbar assecutus tradere. Tale commercium per nonnullos annos perduravit ; in scholis enim superioris ordinis, nisi me fallit memoria, fortasse plures quam duodecim annos docui.

*Fabricius.* - Qui non sunt pauci.

*Aloisius.* - Non sunt pauci, et etiam illas methodos quae me tantopere juverant experiri potui. Ergo discipulos meos linguam Latinam conatus sum docere ratione quadam vividiore atque eos adducere ad legendos auctores sine animi contentione necnon ad indagandas penetrandasque mentes eorum qui nobis talia monumenta tradiderant.

Gradatim tamen, in scholis quidem quae nunc sunt, intellegere coepi difficile esse res adeo permutare ut in meliorem statum omnia redigere possemus. Quin etiam, in Italia et in aliis Europae partibus, leges, -proh dolor !- ita sunt reformatae et mutatae ut magistri maximam temporis sui partem in replendis supervacaneis, mea quidem sententia, chartis consumant, in consiliis scribendis quae nemo umquam ad effectum adducet, nemo umquam leget; in istis rebus molestissimis et etiam noxiis, quibus animus opprimitur neque jam relinquitur otium ad alias res meliores colendas. Equidem variis de causis academiam instituere coeperam, ad quam juvenes ex omnibus totius orbis partibus confluerent. Tum inter duas res me vidi debere eligere, inter quas tam diversas tempus dividere non poteram. Quare hanc viam relinquere necesse fuit (quamquam summo dolore, quia semper me delectavit docere in lyceis), ut totum alteri officio me dederem.

*Fabricius.* - Nempe illud primum institutum de quo modo locutus es sedem suam habuit Montellae, prope Neapolim. Aperi, sodes, quid rei fuerit illa Montella primis temporibus.

*Aloisius.* - Equidem viginti quinque annos natus conventum omnium gentium jam institueram et postea, anno duodebismillesimo, viros doctos ex toto orbe terrarum convocaveram ut inter se disputarent de viis rationibusque docendi atque de litteris provehendis et ad honorem restituendis. Inter quem conventum anni duodebismillesimi, omnibus astantibus proposui ut institutum quoddam conderetur ad quod discipuli et juvenes ex universo orbe terrarum concurrere confluereque possent ad litteras humanas alia ratione colendas atque in variis universitatibus studiorum solent coli, et praesertim eo consilio ut discipulos minus fortunatos adjuvarem, qui egestate aut difficultatibus vitae opprimerentur. Nam, aliquot annis ante, mihi factum erat ut traderentur et committerentur adulescentuli quidam Epirotae sive Albani qui omni institutione carebant, qui nihil fere didicerant antea in scholis, educandi, alendi, instituendi. Quantum potui, una cum quibusdam olim discipulis meis qui operam adjutricem contulerunt, conati sumus hos discipulos, hos juvenes informare ad litteras, ad humanitatem; et vidi, bonis quidem et efficacibus rationibus, etiam eos qui numquam antea erant imbuti litteris nos posse ad bonum et satis laudabilem gradum humanitatis et cultum doctrinae et eruditionis adducere, dummodo ingenium non desit. Equidem, tunc temporis, omnibus qui tali conventui intererant proposui ut tale institutum conderemus, ut eligerentur discipuli qui magno ingenio praediti et item ad litteras colendas propensi essent, qui tamen, variis de causis, in sua via usque ad finem emetienda non possent facile progredi. Itaque multi huic nostro consilio calculum adjecerunt et, post breve tempus, juvenes ex variis terrarum orbis partibus hospitio accipere coepimus : qui ex Mexico, ex Bohemia, ex Gallia, ex Germania, e Sinis, ex Australia, e Rutenia et ex omnibus partibus totius orbis venerunt. Hi juvenes in villam, quam ipse meo aere conduxeram, confluebant ibique annum una convivebant tamquam in domo quadam ubi homines familiaritate aut vinculis varii generis conjuncti vitam consumant. Illic scholas ego et alii magistri habebamus Latinas de litteris, de philosophia, de historia rerum gestarum et de aliis disciplinis ad humanitatem pertinentibus ; discipuli autem, hac societate inter se facta etiam linguam Latinam satis bene discebant atque etiam in illas disciplinas sibi propositas penetrabant. Hoc modo per nonnullos annos usque ad annum bis millesimum nonum progressi sumus.

Quorum discipulorum numerus augebatur in dies, optimum quemque studiorum universitates totius orbis eligebant ad nos mittendum, certaminibus etiam propositis; et illi apud nos versabantur. Anno bismillesimo nono in illa villa jam vix capiebamur quae, quamvis satis ampla, nihilominus erat villa privata. Illic erat etiam satis copiosa bibliotheca ; aliqua conclavia potueramus aptare ad usus scholasticos; attamen villa non tam apta erat ad

institutum majoris momenti ibi collocandum, ideoque, post longam meditationem et postquam rem perpendimus satis diu, non abs re duximus accipere id quod proponebant quidam homines qui Romae sedes habebant. Hi religiosi homines nobis proposuerunt ut sedes et Lares nostros transferremus in Urbem aeternam ubi ipsi has aedes possidebant in quibus nunc versamur. Quod quidem fecimus brevi temporis spatio mense Septembri, ipsis illis religiosis adjuvantibus ; Lares transtulimus, has aedes pactione inita conduximus ; hic amplificare potuimus id quod ibi facere solebamus, plures discipulos accipere, alios conventus omnium gentium instituere et etiam viros doctissimos totius orbis hospitio recipere, seminaria, acroases, orationes, scholas provehere quibus melius meliusve discipuli informarentur ad eas disciplinas quae humanitatem nobis praebent.

---